



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quinam ad accusandum admittantur, & qui ab eo repellantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

capite, de quibus *Glossa in cit. cap. super his V. oportet*, aut quod per modum simplicis querelæ procedatur, nulla sit necessaria inscriptio.

§. II.

Quinam ad accusandum admittantur, & qui ab eo repellantur?

Generaliter loquendo non tantum ad suam, suorumque injuriam prosequendam, quilibet accusare potest, sed etiam ad vindictam publicam, nisi specialiter & expresse reperitur jure prohibiti, qualiter prohibentur primò Clerici accusare criminaliter ad vindictam publicam Laicos, non tantum ob irregularitatis periculum, si poenâ sanguinis afficiatur accusatus, sed quod reverentia statim etiam exigit, his odiosis litigiis, & minis laudabilibus accusationibus se non immiscere; Si tamen accusando suam, suorumque, vel Ecclesiæ suæ injuriam prosequatur, nullum periculum subit irregularitatis incurrendæ, etiam si accusatus poenâ sanguinis afficeretur, modò contra protestetur talis accusans Clericus, quod hic & nunc non velit agere ad vindictam publicam, sed ad suam tantum, aut suorum, aut suæ Ecclesiæ interesse.

Secundò prohibentur Laici de crimine ad vindictam publicam accusare Clericos *c. Cum §. 10. h. t.* tum propter reverentiam, quæ a Laicis debetur Clericis, tum quod sæpius præsumi possit, ex odio, quo Laici in Clericos feruntur, provenire talis accusatio. Tertio prohibentur ob defectum ætatis, pupilli v. g. quartò ob sexus verecundiam, & fra-

Compend. Pirhing.

gilitatem, femina. Quintò infames & criminosi, juris quidem infamiâ infames ab utroque jure repelluntur, facti tamen infamiâ infames, saltem de jure Canonico. Sextò repelli etiam potest ab accusando excommunicatus majore excommunicatione. Septimò Liberti contra parentes ad accusandum non admittuntur, uti & liberti contra suos patronos, ob reverentiam scilicet, quæ his ab illis debetur. Octavò non admittuntur contra Christianos ad accusandum pagani & Gentiles, nec hæretici contra Catholicos, nec pauperes (nisi honestæ vitæ hic sit) nec accusati criminaliter, ad reaccusandum suum accusatorem, pendente accusatione; uti & plures alij, de quibus tamen sæpe conceditur, quod in criminibus exceptis læsæ, v. g. Majestatis, Simoniz &c. aut si suam, suorumque injuriam prosequantur, ad accusandum admitti possint & debeant.

§. III.

Qua ratione repellatur quis ab accusando ob inimicitiam.

Inimicitia, quam quis habet cum altero, si gravis est, ab accusando ordinariè repellit, (eò quod talis potius vindictæ causâ, quàm justitiæ zelo ad accusandum moveri videatur) non tantum eum, qui talem inimicitiam gerit, sed etiam ei cohabitantes, familiares, sæpius cum talibus inimicis conversantes, qui pro inimico testimonium tulerunt, ob affectionem scilicet nimiam, quam præsumuntur ad invicem habere, & hinc non tantum ab accusando repelluntur,

Xxx

sed